

Coll. diss. A  
14, 49

A. 214. (39)





SEDE DECORAM NOMERIORVM  
DOMESTICA

DEBENT INTRARE INTRONCA

STATISTICA TERTIA ANNO

AVGVSTVS-FRID. GAVILLIVS  
RVDOLPH



P R O C O


IN DE ADVANTUS ORDINIS PHILORPHIO  
DE GOTTENDE

DE XI NOVEMBERIS A. 1800  
M. 1800

AD DIRECTORIVM PROSVIT

AD VICE-RECTORIVM

ERNESTO AVGVSTO DANKEGOTT HOPE  
PHILORPHIO  
PHILORPHIO



PHILORPHIO

PHILORPHIO

---

DE  
SEDE DEORVM HOMERICORVM  
DOMESTICA.


---

§. I. **C**um apud Homerum in *Odyssæa* legerem, Otum et Ephialten, temerario cum diis studio pugnandi concitatos, ut aditum sibi in coelum pararent, Ossaam Olympo imponere conatos esse, et Ossæ Pelium; cumque mihi etiam esset, quæ multis aliis opinio, Olympum, Thessaliam aut Macedoniae montem, ab Homero deorum haberi sedem domesticam, seu domicilium: animum subiit cogitatio, quo tandem modo poetæ, omnium fere temporum laudem adepti, a paucis vero vituperatoribus vellicati, tam peruersa, ut videbatur, ratio excidere potuerit; quid? quod locus absurdior mihi visus est, quam qui potuerit ab Homero, aut ita profectus, aut ita esse intellectus. Varia igitur, ut fieri solet, feci pericula, poetarum, quem perhibent, summum ab istis ineptiis liberandi. Inter alia ad locum etiam accessi ductus coniectura, Olympi vocem non semper montis esse nomen, sed coeli etiam synonymum, quo facto narrationem deprehendi sanam. Itaque, retractatis locis, aut memoriae infixis, aut annotatis a me, cum nihil inuenissem, quod ad reprehendendam coniecturam atque opinionem alicuius esset momenti; plura vero reperissem ad eam confirmandam apta; cum denique grauissimos viros contrariam sententiam amplexos esse cognouissem: a) parum absuit, quin de nouo in-

A 2


uento,

- a) e. g. b. ERNEST. in *Clauæ Cicer. voc. Olympus*, ubi ad locum apud Ciceronem de *Diuin. I, 12. pater alitonas stellanti nixus Olympo*, monet: *Mons inter Thessaliam et Macedoniae*; b. DAMM, *Einleitung in die Götterlehre u. Fabelgesch. der alten griech. u. röm. Welt*, § 18. Excell. ESCHENBURG, *Grundzüge der griech. u. röm. Fabelgesch.* edit. alt. 1787. §. 10. pag. 14. Auctor libri: *Einleitung in die klass. Schriftsteller der Römer u. Griechen*, Altenburg, P. II. pag. 342 sq. qui plura de Olympo monet. BANIER, *Erläuterung der Götterlehre u. Fabeln aus der Gesch.* Tom. III. pag. 92. vid. etiam notam 91. cfr. praeterea EVSTATH. ad *Iliad. α, 18. 44.* et *Schol. ad Iliad. α, 18.* pag. 2 sq. edit. Micylli et Camerar.



vento, haud magno illo quidem, sed tamen non plane inutili, iacius mihi gratularer. Procedente tamen et tempore et studio, viro-  
rum eruditorum certe nonnulli, *b)* quibus idem placuerat, me latere  
non potuerunt; quae res, quantum detraxit inuento dulcedinis, tan-  
tum ad animi addidit persuasionem. Quare hanc nactus scribendi  
occasionem, totam quaestionem, nouo examini subiiciendam, viro-  
rumque doctissimorum iudicio exponendam censui. At enim vero  
vt noua rei pertractatio de Homero iterum lectione percurrando me mo-  
nuit, ita lectio ipsa sententiam, animo conceptam, ex parte labefactauit.  
Incidit enim in locos, cum ista coniectura quam maxime pugnantem,  
vnde non possum effugere suspicionem, *Homerum, vt ad nostra perue-  
nit tempora, hac in re parum secum ipso consensisse, et interdum de coelo,  
interdum vero etiam de monte isto cogitasse.* Cuius quidem rei pertra-  
ctandae

*b)* Huc referendus e veteribus ARISTOTELES de Coelo I, c. 3. t. 22.  
vbi scriptum legimus: πάντες γὰρ ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπο-  
λήψεις, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θεῷ τόπον ἀποδιδουσι, καὶ βαρ-  
βάροι καὶ Ἕλληνες, ὅσοι περ εἶναι νομίζουσιν θεούς, quod scribere vix  
potuisset, si putasset cum Homero, ab omnibus lecto, se esse pugna-  
tarum. cfr. etiam de Coelo I, c. 9. t. 96. et II, 1, text. 2. et maxime  
Auctorem libri: περὶ Κοσμοῦ, cap. VI, pag. 282. O. Isingr. Etli autem  
haec vel maxime sint ex allegorica interpretatione profecta, tamen  
non desunt, qui in eandem sententiam possint laudari: FABRI *Thef.*  
*erud. Schol.* edit. GESN. voce Olympus, vbi vide, quae ex APVLEIO,  
et SENECA, de morte Claudii, afferuntur. KIPPINGII *Antiquitt. Rom.*  
I, 2. pag. 63. edit. Lugd. Bat. 1713. POMEY, *Pantb. Myth.* pag. 19.  
D' ORVILLIUS, ad Charitonem, vel potius Manethonem, pag. 664.  
edit. Lips. qui ita habet: Planetarum „circuli spatium hic dicuntur  
„obtinere a coelo ἄρα τῆς nostrae atmosphaerae vicinissimo, vsque ad  
„Olympum, summum coelum, firmamentum, stellarum fixarum, vt appa-  
„rent, stationem, qui circulus siue orbis supra septem Planetas, astro-  
„nomis *crystallinum coelum*, poetis *Olympus* denominatur.“ cfr. seqq.  
pag. 665. vbi D' Orvillius poetas distinguere inter *coelum* et *Olympum*,  
maxime ex Homero probat. Videndus etiam est CLARK. ad Odyss. λ, 42.  
quanquam hanc sententiam nominat: „*coniecturam satis incertam.*“  
Nec praetermittere possum, quae de BOIVINII et MAIRANII sententia ad  
BANIER. d. l. monuit Exc. SCHROECKH, quem quidem Virum et Praecepto-  
rem meum, vt hic *ultimo* loco adduxi, ita *primum* cogito, et pie colo.



etandae et probandae haec mihi optima visa est ratio, ut in utramque partem disputarem, et *primo* quidem probarem, Homerum de coelo videri cogitavisse, *deinde* vero etiam ostenderem, eundem aliis in locis ita locutum esse, ut montis cogitatio lectorum animo debeat observari. Sed ne cui lectorum mirum esse videatur, me hac in quaestione, ab ingenii ostentatione in primis abhorrente, et hac occasione, sophisticas tergiuersationes et illusiones non admittente, hoc usum esse tractandi genere, magis, ut videtur, pueris exercendis accommodato, quam ad res philologicas et mythologicas rite tractandas apto: quaeso, ut hac in expositione mihi detur haec venia, consentiens cum rei propositae natura; ut mihi, de re ancipite, et, ut putauerim, parum constante differenti, duplicem etiam liceat et repugnantem proferre sermonem.

§. 2. Homerum autem de sede deorum domestica saepius ita esse locutum, ut montis significatio vix ei potuerit esse in animo, id varia ratione, *partim* ex iis, quae de domicilio deorum ipso dicuntur, ex variis eius nominibus, et descriptione diserta, *partim* vero etiam ex eiusdem relatione, cum ad alia loca, tum ad incolas deos, tum vero ad hominum cultum, probari, nec non aliorum auctorum, inprimis poetarum, auctoritate confirmari posse videtur. De singulis deinceps dicendum est.

§. 3. Quod igitur primo ad *sedis deorum* attinet *nomina*, ea quidem saepissime nominatur *Olympus*, *c)* in quem dii ascendisse, *d)* vnde terram petiisse, *e)* leguntur; saepissime deorum occurrunt appellationes ab Olympo desumptae, nominantur *ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες*, *f)* *Θεοὶ οἱ ὀλυμπόν ἔχουσι*, *g)* et locorum, ubi Iupiter vocatur *Olympius*, *b)* tanta est multitudo, ut vel vnum attulisse, sit nimium. Sed haud minor etiam est eorum locorum numerus, ubi *in coelo* dii ponuntur, *i)* nec

A 3

defunt

*c)* cf. Odyss. Z, 42. Iliad. O, 21. α, 566. ε, 360. 367. et saepissime.


*d)* Iliad. Θ, 12. 439 Σ, 142. 146. O, 79 sqq.

*e)* e. g. Iliad. λ, 714. α, 44. Sed locorum magnus est numerus.

*f)* Iliad. O, 115. α, 18. al. Et Musae etiam *ὀλ δώμ ἔχουσαι*. Iliad. λ, 218. ξ, 508. π, 112. *g)* Iliad. ε, 404. 890. al.

*b)* Sed dii etiam vocantur *Ὀλυμπιοί*, Iliad. υ, 47. α, 399.

*i)* Odyss. α, 67. cf. maxime Odyss. υ, 113. collato vs. 103. et KOEFFEN. Tom. I. pag. 111.



desunt daemonum Homericorum epitheta a coelo deriuata. Quem quaeso fugiunt θεοὶ οὐρανόωνες, *k)* θεοὶ ἐπερᾶνιοι; *l)* quis nescit, quoties in coelum dii rediisse, aut inde descendisse, dicantur? *m)* Si autem quaeratur, vtrum coelum commodius dici possit Olympus, an Olympus mons, in orbe terrarum situs, melius queat coelum nominari: non dubito, quin omnes illud quidem sint affirmaturi, hoc contra ea negaturi. Notationem vocis ὄλυμπος, a veteribus iam propositam, *n)* etsi rem meam adiuuare quodammodo posset, nolo afferre, cum vsus faciat, vt ea satis vacillante et incerta possimus supersedere; quem vero conceptum Homerus ἔρανοῦ voce voluerit indicare, cum diceret, solem in medium peruenisse coelum, *o)* aut coelum stellis esse exornatum, *p)* (ἀστερόεντα) aut cum Vulcanum iuberet in coelo Pleiades, Hyades, Orionem, et reliqua exprimere astra, *q)* id, nisi omnia me fallunt, dubium esse nullo modo potest.

§. 4. Missis igitur reliquis nominibus huc fortasse trahendis, sed ambiguis, et, cum in poetae sint, parum probantibus, cuiusmodi est, eum Iupiter vocatur αἰθέρι νάϊων, *r)* statim ad *deorum sedis descriptionem* pergo, quae, cum ab Homero in montem aliquem vix videatur dicta, et sententiae hic defendendae egregie faueat, iam integra est apponenda. Minerva nimirum dicitur abiisse: *s)*

Ὀλυμπόνδ' ὅθι φασὶ θεῶν ἔδος ἀσφαλὲς αἰεὶ  
 ἔμμεναι οὐτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὐτέ ποτ' ὄμβρω  
 Δένεται, οὐτε χιῶν ἐπιπίλναται ἀλλὰ μαλ' αἰθέρη  
 Πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἰγλή  
 Τῶ ἐνὶ τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἡμάτα πάντα.

Haec elegans sane loci, digni in quo Epicurei habitent dii, descriptio, cum omnino in terrae locum non cadit, tum de monte alto ab Homero exhiberi vix potuit. Fuit enim ipsi accuratior geographiae scientia,

*k)* Iliad. α, 570. ε, 373. 898. ρ, 195. *l)* Iliad. Ζ, 129. 131. 527.


*m)* confr. Iliad. Ζ, 108. 128. ρ, 545. τ, 351.

*n)* ὄλυμπον, αἶον ὀλοαμπη, καὶ παντος ζοφου -- κεχωρισμενον. Auct. de Mund. c. VI.

*o)* vid. Iliad. η, 421 sqq. θ, 68. *p)* Iliad. θ, 46. et saepissime.

*q)* Iliad. σ, 485 sqq. *r)* Iliad. β, 412. *s)* vid. Odyss. Ζ, 42 sqq.





tia, quam qui talia potuisset de monte dicere. *Nix in Olympum non cadit.* Quid? Fugitne Homerum, montem, ut quisque est altissimus, ita maxime niue tegi? Nemo sane hoc affirmabit, qui apud eundem legerit: *Θρηκῶν ὄρεα νιφόμεντα Ἀκροτάτας κορυφάς,* <sup>τ)</sup> aut *ὄρει νιφόμεντι ἑοικώς,* <sup>υ)</sup> cui montis alti descriptio haud exciderit: <sup>κ)</sup>

— — ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἰκάνει

Ὀξείη κορυφῆ, νεφέλη δὲ μιν ἀμφιβέβηκε

Κυανέη, τὸ μὲν οὐποτ' ἔρωει, οὐδὲ ποτ' αἶθρη

Κείνου ἔχει κορυφὴν, οὐτ' ἐν θέρει, οὐτ' ἐν ὀπώρῃ.

Vnde igitur Olympo Thessaliae ista vacuitas a niue? vnde porro Olympo splendor (*λευκὴ ἀγλή* Sch. *λαμπηδών*) si est in orbe terrarum? Fortasse a niue solis radiis collustrata, quod solet in montibus altissimis euenire? Minime id quidem, nam nix non adest; fortasse a radiis solis, a rupis laeuore repercussis? At cur saxo laeui, cuius statim exhibui descriptionem, splendorem denegauit, quamuis pergit:

Οὐδὲ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνῆρ, οὐ καταβαίη

Οὐδ' εἰ οἱ χεῖρες γε εἰκοσι, καὶ πόδες ἦεν.

Πέτρῃ γὰρ λῖς ἔστι, περιζεσῆ εἰκυσία.


Sin coelum intelligimus, in promptu est cur splendeat, nam ibi sunt stellae, *Ἐσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἴσεται ἀστῆρ,* <sup>γ)</sup> atque ita probe intelligo, qui poëta ingenio indulgere, deorumque domicilium ita poterat describere, quemadmodum id comparatum censebat aptum ad praebendam incolis sempiternam summamque felicitatem.

§. 5. Sed sententia, cuius patrocinium hac in parte suscepimus, magis etiam commendabitur, si Olympum deorum sedem, non *per se* atque *solum*, ut haecenus fecimus, considerare, sed *cum aliis locis componere*, et inde, ubi, ex Homeri mente, situs fuerit, colligere nobis placuerit. Ex locis autem huc referendis in primam quasi aciem prodeat

τ) Iliad. ξ, 227. υ) Iliad. Ν, 754.

κ) Odyss. μ, 73 sqq. Ita etiam sunt *νεφέλαι* in montibus altis, Iliad. ε, 522 sq. π, 297 sq. et nix in iisdem, Iliad. μ, 278 - 282.

γ) Iliad. χ, 318. et maxime σ, 483 sqq. vnde etiam *αἰγλήεις* est Olympi epitheton, Iliad. α, 532. al.



prodeat is, qui has apud me, vt significavi, excitavit dubitationes, vnde *Olympi montis et deorum sedis mutuis inter se respectus* videtur optime apparere. Legimus autem de Oto et Ephialte, bellum diis inferre conantibus: z)

ἽΟΙ βρα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην, ἐν Ὀλύμπῳ  
Φυλόπιδα σήσειν πολυαἶκος πολέμοιο.

Ὀσσαὶν ἐπ' Ὀλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὀσση  
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἦν οὐρανόσ ἀμβρατὸς εἴη.

Hos igitur poëta dicit Ossam Olympo imponere voluisse, et Ossae Pelium, vt ex hac montium mole, in coelum, deorum sedem, antea (vs. 312.) Ὀλυμπος dictam, aditus ipsis pateret. Cum autem Ossa pariter ac Pelius, id quod scholia etiam monent, in Thessalia essent fiti; cumque caeteri, quorum fit mentio, Olympi a) essent remotiores, quam vt verisimile sit, poëtam de iis cogitasse; denique vero non meminerim, vbi eorum sint in Homero vestigia: de Olympo in vicinia posito cogitandum censeo, poëtamque, vbi dicit, istos Olympo

z) Odyss. λ, 312-315. cf. VIRGIL. Georg. I, 282.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,

Scilicet atque Ossae frondosum inuoluere Olympum.

Ordinem igitur montium inuersum videmus. Homero Olympus est fundamentum, huic superstructa Ossa, Ossae Pelius. Maroni contra ea infimus et fundamentum est Pelius, summus vero Olympus. Hanc Virgilii rationem seruat SENECA. Herc. Fur p. 41. (ed. Lugd. ap. Gryph.)

Iam monte gemino limitem ad superos agam,


Videat sub Ossa Pelion Chiron saum,

In coelum Olympus tertio positus gradu

Perueniet, aut mittetur.

Seruat eandem etiam OVIDIUS loco infra laudando Met. I, 154sq. Iam nouus, idemque, si opus esset, probabilior tollendae difficultatis memoratae modus succurrit. Fortasse non summus Olympi vertex est intelligendus; fortasse Homerus voluit, supercilio cuidam Olympi Ossam fuisse imponendam, cf. LUCAE IV, 28. vbi illud ἐφ' ἧ σcil. ὄρους etiam non est de vertice intelligendum. Vid. ibi WETSTENIUM, qui multos, vt solet, locos cumulauit.


a) Plures montium, quibus Olymporum fuit nomen, vide apud EVSTATIUM ad Iliad. α, 18. HERODOT. I, 36. vbi Olympus Mysiae memoratur. Vid. etiam PERIZON. ad Aelian. V. H. VIII, 11.



po esse superstructos, vel potius superstruendos, hunc intellexisse Olympum, mihi maxime videtur consentaneum. Iam vero quis est, qui poëtarum laudatissimum, tam absurde et ridicule, in tribus versibus se proxime excipientibus scripsisse putare velit, quam qui dixisset: Olympo monti superstruxerunt Ossam, Ossae Pelium, ut in Olympum, omnibus subiectum possent ascendere; ut cum diis possent pugnare, qui, si Olympum montem inhabitassent, sub Ossae Peliique pondere iacuisent oppressi. Neminem ego futurum esse arbitror, qui, ut tales excuset ineptias, moneat, auctorem agere de absurdis istorum monstrorum conatibus, eorumque temeritatem in dictione poëtae esse expressam; nam qui *absurda* gestiat *absurde* etiam exponere, vereor, ut is vnquam possit prudentium sperare veniam. Neque vero vel alter locus succurrit, vbi Homerus eiusmodi ineptiis circulatoriis, lectorum studuerit se approbare iudicio. At erit fortasse, qui malam nobis obiiciat auctoris interpretationem, contendatque sensum esse: Pelium *in* Ossa collocandum, hos vero montes Olympo fuisse *apponendos*; negari enim non potest, vocem *ἐπι*, maxime in compositis, hanc vim habere posse. *b)* At enim vero a nostro loco haec vis est aliena. Lex enim interpretationis, quae voces, in vno contextu saepius obuias, diuersis sumi vetat significationibus, nisi forte auctor eiusmodi argutias venatus fuerit, *c)* et summa urgeat necessitas, interpretis cauti, atque Homericam simplicitatem cognitam habentis assensum cohibebit, immo plane non admittet. Quid igitur obstat, quo minus Homerum a scriptione absurda ita liberere.

*b)* e. g. HERODOT. VI, 7. *ἐπι τῆ πόλει κείμενη.*

*c)* Eiusmodi locus est apud PLUTARCHVM, de aud. poët. II, §. 4. Γοργίας δὲ τὴν τραγωδίαν εἶπεν ἀπατήν, ἣν ὅτε ἀπατήσας δικαιότερος τοῦ μὴ ἀπατήσαντος, καὶ ὁ ἀπατήθεις, σοφώτερος τοῦ μὴ ἀπατήθεντος. Plura exempla suppeditabit SENECÆ lectio. Caeterum non negauerim, Homerum iisdem vocibus interdum vno in loco variis usum esse significationibus, ut Odyss. 4, 21 et 23. vbi *ναίεταω* *actiue* et *passiue* legitur. Quid? quod nostro in loco *Olympi* vox duplici sensu accipienda esse videtur; quod tamen non tam durum est, quam si *ἐπι* varie adhibuisset; argutiae certe ab his locis sunt alienae.



beremus, ut Olympum deorum sedem, ab Olympo monte, ex ipsa poëtae sententia, dicamus esse diuersum.

§. 6. Praeterea neminem, in libris Homericis vel mediocriter versatum, — quorum in numero confiteor etiam me esse, — neminem, inquam, fugit locus, de regni inter Iouem, Neptunum, atque Plutonium partitione exponens, ubi supremo quidem, ut se iactabat, deo, Ioui nimirum, venit οὐρανὸς ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλαισιν, aqua Neptuno, Plutoni denique regnum inferorum. *d)*

Γαῖα δ' ἔτι ξυνή πάντων, καὶ μακρὸς Ὀλυμπος.

Quid? Nonne hic Olympus a terra diserte distinguitur? Nonne igitur hoc ex loco etiam licet id, quod est propositum, concludere? Videtur id quidem fieri posse, proximeque ad veri accedere speciem, sed firmam quandam ratiocinationem hic versus non patitur. Nihil enim impediēbat, quo minus poëta, — cui expositio rei debet esse curae, qui omni studio, haud eo quidem rectae rationis experte, in eo debet laborare, ut lectorum oculis manifesta rei obuersetur imago, — partem, et eam quidem praestabiliorem, Olympum dico montem, toti iam proposito addere, et ab eo oratione separare potuerit, nec ego negauerim, Iliados nobilem auctorem alibi etiam ita esse locutum. *e)*

Nihilo.


*d)* Iliad. O, 190 sqq. Scholiastes quamquam alioquin montem intellexisse videtur, (cf. eum ad Iliad. α, 18. et saepius, maxime ubi ῥιον Ὀλυμποια est explicandum) tamen nostro in loco Olympum explicat per coelum, addit enim: καλῶς δὲ καὶ τὸν ὄλυμπον κοῖνον φησιν, ἐπεὶ καὶ οὐρανὸς τὴν γενεσὶν ἐκ τῶν τεσσαρῶν κεκτῆται σοιχείων. Sed, ut facile vel ex his apparet, ad physicam rationem traxit. Formula ἐν αἰθ. καὶ νεφ. legitur etiam Iliad. O, 20

*e)* Cogitavi de loco Iliad. ξ, 467. sq.

Του δὲ πολὺ προτέρων κεφαλῆ, σῶμα τε ῥίνες τε

Οὐδεὶ πληντ'. Vbi poëta, cum κεφαλῆν dixisset, partes capitatis nonnullas subiungere videtur. Neque tamen me fugit, hunc locum, si curatius versetur, non satis probare. Nam κεφαλῆ potest etiam significare summam capitatis partem, id quod non tam probauerim formula ἐς ποδάς ἐκ κεφαλῆς, (Iliad. σ, 358.) quam ex Ηερκροτ. III, 12. et II, 85. ubi κεφαλῆ et προσώπων particulis ἢ καὶ distinguuntur. Quo minus tamen ex loco in textu allato audacter conclu-

conclu-



Nihilo tamen fecius aliorum locorum consideratio facit, vt Homerum ea separasse, et separatim considerasse, arbitrer. Ne autem sit, qui me aut propter caliginem, ab opinione et coniectura oculis offusam, hoc in loco habeat coecutientem, aut iniquum existimet, et sophisticis artibus deditum, ob suppressam rem, quae contra sententiam hic probandam pugnet, monendum est, quod loco dato *οὐρανὸς εὐρὺς ἐν αἰθέρι καὶ νεφ.* quem Iupiter erat fortitus, magis etiam ab Olympo, ad omnes deos pertinente, distinguitur, id hypothese iam propositae, minime aduersari. Nam *οὐρανὸς εὐρ. ἐν αἰθ. καὶ νεφ.* vt non indicat totum coelum, ita multo minus est suprema vniuersi pars, seu, vt cum magno Aristotele dicam, *ἡ ἐσχάτη τοῦ παντὸς περιφορὰ*, immo vero aëris regio esse videtur infra lunam, terrae propior, vbi nubes se colligunt, vnde pluuia demittitur, vt vno verbo dicam, atmosphaera. Voces enim adiectae non solum, vt multae eiusmodi apud Homerum, ornatui atque expositioni seruire, sed differentiam indicare videntur, non quidem specificam, vt loquuntur, sed partis et totius. Nam *αἰθήρ* apud Homerum, vt notum est, non solum, strictiore significato, idem significat, quod apud philosophos *f) οὐρανοῦ τε καὶ ἄστρον οὐσίαν — διὰ τὸ αἰεὶ θεῖν κυκλοφορομένην, σοιχεῖον οὐσαν ἕτερον τῶν τεσσάρων, ἀκήρατον τε καὶ θεῖον*, sed aërem etiam indicat, et quidem sereniorrem. *g) Itaque οὐρανὸς ἐν αἰθέρι κ. νεφ.* est coelum, vbi et nubes sunt

B 2

et

concludam, impedit omnino obseruatio, poëtas non omnia ad viuum refecare, multo minus ipsum Homerum. Vid. Iliad. v, 61 sqq. vbi, in descripta deorum pugna, Plutonem induxit timentem, ne eius domus appareat *ἀθανάτοις*, cum tamen ipse Pluto, illud inhabitans et videns domicilium, ad immortales erat referendus. Eadem ratione Iliad. σ, 483 sq. sol et luna nominantur, coelo iam nominato. Hanc tamen notulam non adscripsi iam vituperium Homeri; nam qui vel sermonem habens pedestrem eiusmodi dicendi rationem abhorreat, eum, quia adhibenda limitatio per se patet, intra spem veniae cautum dixerim. Quid? quod in poëtis talia seruiunt expositioni, vt in textu etiam significauit.

f) cf. Auct. de Mundo. c. II, et maxime ARISTOT. de Coelo. I, c. 3. in fin.

g) Iliad. ξ, 288. *δι' ἡέρος αἰθέρ' ἵκανεν*. Sed, vt supra dixi, pro aëre etiam poni



et nūbilus aër, et coeli serenitas, idque ad Iouis pertinet ditionem; suprema vero coeli pars, nubium et niuis expers, semperque laeta quasi fronte splendens, deorum est aeternum domicilium.

§. 7. Similem locorum respectum mutuum, qui infra commo-  
dius poni posse videbatur, iam omitto, sed ad deos, Olympi incolas,  
transeo, vt videamus, *utrum montis ingenium, eorum aut magnitudini,  
aut actionibus animique agitationibus sit accommodatum.* Equidem scio,  
hoc argumentorum genus, a conuenientia defuntum, non ad omnes  
transferri posse auctores, et sane, qui, vt Horatii formulis vtar, ser-  
pentibus aues geminet, et tigribus agnos, cum hoc argumento nec  
defenderem, nec ad eruendam eius genuinam sententiam tali ratione  
vterer: in Homero tamen, qui, teste eodem Horatio, *nil molitur  
inepte*; de cuius recta ratione iam aliunde constat; hic probandi mo-  
dus aliquid, ne dicam, multum ponderis habet. Troiani igitur belli  
scriptor, — quem, saluo criticorum iudicio rectiore, cum saepe iam  
allato Mæcenatis amico liceat nominare — quamquam non tale diis  
suis tribuit corpus, *b)* quale est hominibus, carne, ossibus, sanguine,  
caeterisque rebus corporeis constans: tamen quasi corpus, idque et vi  
et magnitudine humano praestabilius corpore, iis concedere non dubi-  
tauit. De vi et efficacia, re non solum satis nota, verum etiam ad  
consilium meum parum accommodata, non est cur dicam; sed for-  
marum magnitudinis nonnulla liceat addere specimina, haud ea qui-  
dem doctis ignota. *i)* Martem igitur contemplemur, a Minerua lapidis  
per-

poni videtur Iliad. β, 458. Ἄιγλη παμφανώσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἴκε,  
vbi Schol: δια τοῦ αἰθέρος. Ἄηρ contra ea semper in Homero quidem,  
caliginis, tenebrarum, nebularum, videtur habere ἐμφασιν. Cf. Iliad. ε,  
864. ε, 644. cf. 646. vbi αἰθέρη ei opponitur. Iliad. γ, 381. ε, 776.  
υ, 444. Odyss. ι, 144. η, 15. cf. 41. vnde etiam αἰθήρ et αἰθέρη oppo-  
nuntur. Iliad. ε, 368. et 371. vbi ὑπ' αἰθέρι explicatur ab ipso poë-  
ta: -- -- πεπτατα δ' αἰγλη

Ἥλιου ὄξεια, νεφός δ' οὐ φαίνεται πάσης  
Γαίης, οὐδ' ὄρεων.

*b)* vid. Iliad. ε, 339 sqq. Caeterum eadem Epicureis placuit sententia,  
quam ludibrio habet CICERO, de Nat. Deor. I, 26.

*i)* Cf. KOEPPEN. qui ad Iliad. ε, 744. Tom. II. p. 120 sq. nonnulla attulit.

permagni ictu prostratum, et septem tegentem πέλεθρα, k) eundem-  
que post vulnus acceptum audiamus vociferantem ὄσσον ἑννεάχιλοι  
ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι Ἄνῆρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ζυνάγοντες Ἀρήος, l)  
eiusque magnitudinem, tanto clamore dignam, aliqua proportione ani-  
mo componamus. Sed, quid in Marte haereo? Nam fac, vel Pythi-  
cum intelligi stadium, quod maximum habetur, et mille pedum, m)  
ita ut Marti sit CLXXVI pedes excedens magnitudo: tamen inter deos  
pusillus est censendus, si Neptuni audeamus animo colligere staturam,  
quem quatuor passibus ex Samothracia in Achaiam peruenisse legimus.  
Habet enim Poëta: n)

Ἄυτίκα δ' ἐξ ὄρεος κατεβήσατο παιπαλόεντος  
Κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς· τρέμε δ' ἔρεα μακρὰ καὶ ὕλη  
Ποσσὶν ὑπ' ἀθανάτοισι Ποσειδάωνος ἰόντος.  
Τρεῖς μὲν ὀρέζατ' ἰών, τὸ δὲ τέτρατον ἴκετο τέκμωρ,  
Ἄιγας· ἐνθα δὲ οἱ κλυτὰ δώματα. etc.

B 3


Ad

k) vid. Iliad. φ, 407. Vocem πέλεθρον seu πλεθρον Schol. ad Odyss. λ,  
576. (ita enim corrigendus Koeppenii locus, XI, 756.) explicant:  
ἀπο πλεθρου, ὃ ἐστὶ ἕκτον μέρος σταδίου, ita ut nouem, quae ibi de  
Tityo leguntur, plethra efficiant lesqui stadium. Et ad Iliad. ε, 145.  
πέλεθρον, το καὶ πλεθρον, μετρον γῆς ἔχον πήχεις ξς. Cf. HERODOT.  
I, 93. II, 124. et 149. vbi σταδιον ἑξαπλεθρον. Vid. etiam PERIZON. ad  
Aelian. V. H. III, 1. n. 3. KOEPPEN. septem πλεθρα explicat: sieben  
Hufen, siebenhundert Fuß.

l) Iliad. ε, 860 sq. eundem clamorem tribuit poëta Neptuno. Iliad. ξ, 147 sq.

m) vid. CENSORIN. c. 13.

n) leguntur haec Iliad. Ν, 17 sqq. Et vs. 12. eum sedentem exhibue-  
rat ὕψου ἐπ' ἀκροτατης κορυφῆς Σαμου ὕλησσης Θρηάκης, vbi Schol.  
της Σαμοθρακῆς. Cf. VIRGIL. Aeneid. VII, 208. Ad vocem Ἄιγας  
vero Scholia monent: Ἄιγαι πόλις Ἀχαιῶν ἐν Πελοποννησῶ, ἐνθα τι-  
μαται ὁ Ποσειδῶν; idemque oppidum intelligendum esse affirmant.  
ad Iliad. θ, 203. Ad Odyss. ε, 381. vero ita habent: Ἄιγας πόλιν  
της Ἀχαιῶν οἱ δὲ νῆσαν προ της Εὐβοίας ἱερὰν Ποσειδῶνα. Sed, si vel  
maxime haec insula esset intelligenda, maximum tamen manet inter-  
vallum. De passibus equorum Iunonem vehentium vid. KOEPPENIVS,  
Tom. II. pag. 128. ad Iliad. ε, 772.



Ad probandam igitur deorum monstrosam et enormem staturam unius sufficit Neptuni exemplum, vade non afferrem Minervam, nisi esset *dea*, diis maribus non cedens magnitudine. Nam placet nonnullis interpretibus, eius galeam, auctore Homero, aptam fuisse militibus ex centum (permultis) urbibus. o)

Κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον,  
Χρυσείην, ἑκατὸν πόλεων πευλέεσσ' ἀραρυίαν.

Quor-

- o) Iliad. ε, 744. vbi Schol. πολλῶν πόλεων, πολλοῖς ὄχλοις ἀρμοσαι δυναμένην pedibus ex multis oppidis accommodatam. Et sane hic sensus primo in mentem venit lectoribus, quod rectissime monet etiam KOEPPENIUS. Sed cur maiore attentione et commendatione dignam non habuerit explicationem: in qua multarum urbium milites fuerunt expressi, instructam, ornatum pedibus multorum oppidorum, id quidem non satis assequor; coacta certe et extorta haec interpretatio vocari non potest. De re ipsa, nimirum de tali armorum ornatu, conferendus Achilles clypeus Iliad. σ, 482 sqq. in vocibus vero haud magna latet difficultas, iisque, si quid video, vis nulla infertur. Nam, quod pedes ponuntur, pro pedum simulacris aut imaginibus, id mirum videri non potest; nec a voce ἀραρυία ista significatio est aliena. Homerus enim dixit etiam: ζώνην ἑκατὸν θυσανοῖς ἀραρυίαν. Iliad. ξ, 181. cf. sqq. aut ἀσπίδα -- καννεσσ' ἀραρυίαν. Iliad. ν, 407. vbi alligatum, aut simile verbum, locum non habet. Πολις περὶ γαίης ἀραρυία est urbs turribus instructa, (et per consequens, munita). Iliad. ο, 737. Vocem ἀραρυόντε Schol. ad Odysl. π, 169 explicant per: κατασκευασάντες. Eandem significationem amplectendam esse putauerim etiam in formula: κνημίδας -- ἐπισφυριοῖς ἀραρυίας. Iliad. γ, 331. λ, 18. π, 132. σ, 459. τ, 370. Nam nescio, qui factum sit, ut non solum in pluribus lexicis vox ἐπισφυριον redderetur per *fibulam*; sed, ut KOEPPEN. etiam hanc probaret versionem. Vide eum ad Iliad. α, 17. Tom. I. pag. 18 sq. Veteres interpretes aliter. EUSTATHI. ad Iliad. γ, 331. intelligit κνημίδων αἴρα, et Schol. VILLOIS. ὀπίσθιον διδάσκει δια τούτου, nec aliter Scholia, quae ΔΙΔΥΜΙ dicuntur, et saepius Scholiorum nudo nomine a me sunt allegata, nam explicant per: τοῖς τῶν σφύρων καλυμμασίν. Quin autem vertamus: *fibularum ope pedibus adstrictas*, impedit etiam locus ex Iliad. σ laudatus, ibi enim ita describitur Achilles armatura fabricanda; immo vertendum: *salorum tegumentis instructas*. Sed nolo magis exspatiari.



Quorsum haec? Ut appareat, qualis quantusque fuerit Homerus, si his deorum personis Olympum montem assignasset domicilium. Mons est magnus; hoc concedendum; sed ut nostri pedes lapillos in via sparsos, ita vnus Neptuni passus eum superabat. Vbi igitur, Neptuno in coelo praesente, *p)* Ioui fuit, haud certe minori, locus, vbi reliquis diis? In domicilium tam arctum, ut nec proferre pedem possent, nec referre, quod vel vnicum recusabat passum, deos volumus ab Homero esse coniectos? Num admiranda ars, num laude dignum est eius ingenium, qui de carcere tam misero et angusto dicere non dubitauerit:

τῶ ἐν τέρονται μάκαρες θεοὶ ἡμάτα πάντα.

§. 8. Sed concedamus Homero inconstantiam quandam, fieri enim potuit, et vere factum esse videtur, cum diis facultatem tribueret formas mutandi, aut plane etiam latendi, ut eos, in Olympo praesentes, minores sibi cogitaret, quam variis locis, vbi commodum ei videbatur, magnitudinis iniicere mentionem, describeret; dabimus, Veneris pulcritudinem, non magnitudinem, placuisse Paridi: attamen saepius obueniet nobis eiusdem, aut maioris etiam, liberalitatis nostrae demonstrandae, ne dicam Homero indigna, certe ei haud honorifica, occasio. Quid enim fiet cum omnibus istis locis, *vbi deorum actiones et animi agitationes, aut passiones, in nostra causa ad actiones referendae, describuntur.* Vulcanus, — ut primo de praecipitationibus dicam — satis facete confitetur, *q)* se, a Ioue, e deorum sede praecipitatum, cadendo vnum transegisse diem, tandemque semianimem decidisse in Lemnum insulam; Iupiter, ut somnum, qui dicit: καὶ κε μ' αἴσον ἀπ' αἰθέρος ἔμβαλε πόντω, *r)* praecipitare voluisse, ita Aten vere praecipitasse dicitur. *s)*

Ὡς εἰπὼν ἔρριψεν ἀπ' ἔρανοῦ ἀσερόεντος  
Χεῖρὶ περιστρέψας, τάχα δ' ἵκετο ἐργ' ἀνθρώπων.


Haec deiectiones, vnde? disertis respondendum est Homeri verbis: e coelo stellante.

§. 9.

*p)* ut Iliad. η, 443. 445 sqq. §, 199. 200. *q)* vid. Iliad. α, 592.

*r)* Iliad. ξ, 258. cf. etiam Iouis minas. Iliad. §, 13. α, 23 sq.

*s)* Iliad. τ, 130. cf. vl. 128. vbi Olympum et coelum iunxerat poeta.



§. 9. Auscultemus vero etiam Iouis dulcissimum cum Iunone colloquium: *τ)*

Ἡ *υ)* οὐ μέμνη, ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν  
 Ἀκμονας ἤκα δ' ὕω, περὶ χερσὶ δὲ δεσμὸν ἴηλα  
 Χρύσειον, ἀρρήκτον; σὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν  
 Ἐκρέμω, ἠλάσσειον δὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὀλυμπεύ.

Quae suspensio quo tandem modo fieri poterat ex Olympo monte? Qui poterat poeta dicere: ἐν αἰθ. κ. νεφ. ἐκρέμω; Scholia etiam explicant: ὑψόθεν ἐκ τοῦ αἰθέρος, ἀπὸ ὑψους, nec recentiores interpretes locum aliter intelligere video. *κ)* Eadem cernitur repugnantia in demittendo fune notissimo, *γ)* quo idem Iupiter, cui antea Briareus exoptatum tulerat contra paucos deos auxilium, *ε)* se ab omnibus diis de coelo detrahi non posse iactat. Num hunc etiam funem, aut, si magis placet, hanc catenam ex monte pendentem Homerus cogitare potuit? Immo vero Poeta dicit: ἔρανόθεν κρεμάσαντες, et ἐρύσαιτ' ἐξ ἔρανόθεν πεδιόνδε. Iupiter igitur erat in coelo; an fert animus, ἔρανον hic habere montis synonymum, οὐρανόν, qui versibus proxime antecedentibus tanto erat interuallo a terra seiunctus, quantum est intra terram et Tartarum. *α)* Quem denique sensum habent sequentia:

Ἄλλ'

*τ)* Iliad. ο, 18 sqq.


*υ)* Exprimendam curavi lectionem editionis Exc. WOLFII, ab a. 1785. Ego tamen putauerim, aut ἢ esse legendum, aut signum interrogationis post ἀρρήκτον esse tollendum, vel potius in comma mutandum.

*κ)* e. g. KOEFFEN. Tom. IV. pag. 171.

*γ)* Iliad. θ, 18 sqq. Equidem nollem vertere σειρην per catenam, occurrunt enim eius epitheta, in catenam vix cadentia; v. c. πλεκτή. Odyss. χ, 175, vbi Schol. vocem hanc explicant per πλεγμα, σχοινιον. Cf. etiam Iliad. ψ, 115. σειρας τ' εὐπλεκτους. Nec me vehementer mouet, quod nostro loco additum est χρυσειη quem enim fugit, omnia ad deos pertinentia, esse vel dici aurea? Caeterum cf. KOEFFEN. Tom. II. p. 292 sq.

*α)* Iliad. α, 399-406. Notandum est autem, Iouem exhiberi αἰλαζονικόν καὶ ὑβριστικόν.

*α)* Hoc interuallum, quantum fuerit, magis apparet ex HESIOD. Theog. vl. 720. Sed cfr. Iliad. θ, 478-482. quo loco tartarus esse dicitur, vbi sunt τὰ νεῖατὰ πείρατὰ γαίης καὶ πόντου.




Ἄλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,  
 Ἄυτῆ κεν γαίῃ ἐρύσαιμι, αὐτῆ τε θαλάσση·  
 Σειρῆν μὲν κεν ἔπειτα περὶ ἕϊον Ὀυλύμποιο  
 Δησαίμην, τὰ δὲ κ' αὐτε μετήορα πάντα γένοιτο.

Terra igitur ex Olympo monte, in terra fito, fuspenderetur! Si hominem mente captum ita induxisset loquentem, nihil dicerem; sed Iouem, de magna sua potentia gloriantem, qui ita dicere iussisset, praefertim si, vt Homerus, addidisset: μάλα γὰρ κρατερῶς ἀγόρευεν cum malis, certe mediocribus poëtis annumerari, aequo animo patiar.

§. 10. Sed paullulum declinati a via, vt fit, si in vicinia aliquid conspicimus, quod attentione nostra dignum videtur, ad itinera deorum cursu nostro pergimus. Antea quidem, cum argumenta quaerem, ideoque inuenirem scilicet, inde etiam aliquid sententiae meae accedere videbatur praesidii, quod nonnulli deorum, Olympum petentes et relinquentes, *curribus vsi fuisse reperiuntur*. Nam non satis conuenienter dictum esse arbitrabar, currus a diis adhibitos, ad concifiendum iter, quod paucis passibus potuissent absoluere. *b)* Sed ma-  
 ture

*b)* Accuratiore inuestigatione dignas censeo rationes, quibus adductus esse videtur Homerus, vt deos suos interdum curribus vsos fuisse diceret. Monuit hac de re iam aliquid KOEPPENIVS, ad Iliad. N, 33. pag. 12 sq. Tomi IV. Sed ea nondum sufficiunt. Obseruandum autem est, ante pronunciamdam de consilio eius sententiam, *primo* quidem, quinam dii, et quae deae curribus vtantur; *deinde*, quia eadem dea aliis in locis curru vecta venit, aliis contra ea, sine curru, eruendum est, quibus in expeditionibus currus adhibeantur. Quae mihi in promptu sunt, iam, venia lectorum, adiiciam. *Somnus* sine curru descendit Iliad. β, 16. *Thetis* sine curru itinera facit. Iliad. α, 496 sq. σ, 148. *Iris* sine curru venire et abire solet: Iliad. β, 786. γ, 121. δ, 410. 425. λ, 195 ο, 168 sqq. σ, 167. *Eridis* nullus videtur vsus curruum. Iliad. λ, 3 sq. *Minerua* contra ea, cum Iunone descendit in pugnam, curru vecta. Iliad. ε, 718 sqq. et θ, 381-396. Sed eadem *sola* etiam saepissime absque curru apparet: Iliad. ρ, 544 sq. et saepius sine curru, quam currus ope. *Venus*, rediit Martis equis vulnerata: Iliad. ε, 359. *Iunoni* vero solemne videtur fuisse, curru vehi. Nam praeter locos, supra ad Mineruam laudatos, Iupiter Iliad. ξ, 298 sq. quaerit, qui fiat, vt  
 C  
 fine



ture intellexi, hoc argumentum nimium, proptereaque nihil probare. Idem enim Neptunus, qui, ut supra docui, quatuor passibus ex Samothracia Aegas peruenerat, currum parat, ut troianam petat regionem. Attamen nonnulla deorum itinera faciliora videntur intellectu, si in suprema vniuersi regione deos ab Homero collocatos esse putemus. Legentes autem de Marte c)

Φαίνεθ' ὁμοῦ νεφέεσσιν ἰὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν.

Καρπαλίμως δ' ἴκανε θεῶν ἕδος αἰπὺν Ὀλυμπον.


non video, quin de coelo aptius, quam de monte cogitare possimus. Sed etiam haec haecenus. Nolo enim in rem meam conuertere crebras noctis dieique mutationes et vicissitudines, earumque descriptiones; d) nam sentio, me satis superque in aëre et coelo esse versatum; nec hac in parte impetrare a me possum, ut lectores honoratissimos diutius mecum per aërem traham. Immo vero humanum genus iam flagitare videtur, ut sui etiam quandam habeamus rationem.

§. 21. Et sane, ex ratione, quam homines religiosi in precibus faciendis sunt secuti, cum supplices manus ad coelum tenderent, opinioni, quam haecenus aut satis, aut certe uti potui, defendere conatus sum, aliquid adiumenti et probationis accedere videtur. Veteres iam hoc argumen-

to

fine curru appareat, et ea quidem Iouem etiam hac in re fallere non dubitat. v. 307 sq. cf. etiam v. 225 sqq. Hic tamen ipse locus demonstrat etiam, currum Iunoni itinera facienti non semper adhaesisse; quam in rem conferendus etiam est locus: Iliad. τ, 114 sqq. -- Neptunus et curru vitur, et pedibus e Samothracia Aegas petit. Iupiter curru Idam petit. Iliad. θ, 41 sqq. et curru vectus in Olympum redit. v. 438 sqq. Sed in secundo descensu currus nulla fit mentio. Iliad. λ, 182 sq. Mars currum habet; sed etiam sine curru potest facere itinera, ut, vbi Veneri suum commodauerat. Iliad. ε, 866 sq. Cauendum tamen est, ne ex omnibus locis, vbi currus non diserte nominantur, concludamus, eos absuisse. Nam Iuno, quae vecta curru descenderat, Iliad. ε, 767 sqq. in reditu Iliad. ε, 907 sqq. eum occupasse non legitur. c) Iliad. ε, 866 sq.

d) Ut vbi aurora dicitur progressa esse ad μακρον Ὀλυμπον. Iliad. β, 48. Sol ex Oceano venit in coelum. Iliad. η, 421 sq.



to esse vfos, vt probarent, sensum communem, vulgaremque hominum sentiendi et agendi rationem, iam deum, aut deos, in coelo collocasse: id quidem silentio iam praeterire non possum. e) Negari autem non potest, huius ritus causam et originem inde posse optime deduci, quod homines, vt versus eos, quos amant, a quibus auxilium petunt, manus extendere solent, ita etiam in precibus ad deos fundendis, manus eo direxerint, vnde aut auxilium sperarent, aut vbi id, quod amabant, quod colere, et cui se approbare studebant, sedem suam habere et commorari censerent. Huius moris crebram fieri in Homero mentionem, in tanta locorum frequentia, vix est, cur probem. Cur autem Homerus, cum Menelaum, f) aut Agamemnonem, g) aut Achillem h) preces facturum et facientem, iuberet oculos ad coelum convertere; cum venerandi Nestoris manus tenderet ad coelum stellantem; i) cum eodem populi dirigeret manus; k) a vulgari ratione recessisse putandus sit; cur deos non in coelo, quod cum manibus oculi petebant, sed in monte saepius nominato, de quo nihil eiusmodi dixit, posuerit: eius rei non video rationem satis idoneam.

§. 12. Quin autem lectiorum et iudicum aequorum sim impetraturus veniam, delibandi nonnulla de aliorum poetarum libris, ad hanc sententiam pertinentia, nullus dubito. Iam vero, vt probe scio, aliorum, maxime recentiorum hominum opiniones et fictiones, in Homerum non esse inferendas, — quid enim poterit tali conatu excogitari absurdius — ita vereor, vt HESIODVS de Olympo isto cogitaret, cum ederet, l) ferream incudem nouem dies, totidemque noctes cadendo consumpturam esse, antequam οὐρανόθεν in terram veniat. Porro num dubium est, quid sibi velint verba EURIPIDIS m)

C 2

"Ατλας,


e) Vid. Auctorem libri, qui ARISTOTELIS nomine circumfertur, et περιηγησιον inscribitur, cap. VI.

f) Iliad. γ, 364. g) Iliad. τ, 257. cf. vs. 254.

h) Iliad. π, 232. i) Iliad. ο, 371.

k) Iliad. η, 177. l) Vid. Theog. vs. 720 sqq.

m) Euripid. Ion. 1 sq. Vid. Clark. ad Odyss. α, 53.



Ἄτλας, ὁ χαλκίοισι νότοις οὐρανὸν  
θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκτρέβων.

Quid VIRGILII: n)

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Num verisimile est, OVIDIVM nobis voluisse exhibere Iouem ipsis pueris, in schola sedes suas cultro corrumpentibus, petulantio- rem, cum scriberet: o)

Tum pater omnipotens, misso perfregit Olympum  
Fulmine, et excussit subiecto Pelio Ossam.


Et sane, quid posset esse exquisitius dictum, quam: Iouem, in Olym- po habitantem, ex Olympo fulmen ad perfringendum Olympum misisse! Querelarum denique Iunonis, a SENECA in Herculis furen- tis initio expositarum, quis, quaeso, sensus est? num pellices *coelum* occupauerant, an *montem* inter Thessaliam et Macedoniam? Equidem non dubito coelum intelligere, disertis enim verbis poëta pronunciat:

Locumque, coelo pulsa, pellicibus dedi;  
Tellus colenda est, pellices coelum tenent. p)

§. 13. Talibus autem argumentis in priore dissertationis parte sen- tentiam propositam defendere potui; quod, vtrum ita a me factum sit, vt doctorum virorum assensu expositio non plane indigna reperiatur, id ego affirmare non possum. Cum autem omnia omnino argumen- ta e genere probabilium sint petita, vnde facile oriri suspicio potest, me erga probationes esse facilem, omnesque, si vel nihil demonstrent, mihi aridere: monendum est, me omni hac in re non potuisse ad id penetrare, quod sine vlla dubitatione verum est, immo vero eum mihi videri et verissime statuisse, et optime probasse, qui prope a veritate et probabilitate abfuerit. Sed iam deponenda persona, quam hactenus egimus, et contrariae sententiae patrocinium est suscipiendum. Ita- que *altera tractatio*, quantum fieri poterit, eodem ordine, quem su- pra secutus sum, probare conabitur: Homerum ita quoque de deorum sede

n) Aeneid. I, 378. o) Metam. I, 154 sq.

p) Cf. in eandem rem OVID. Metam. II, 506 sqq.



fede domestica esse locutum, vt montis saepe memorati cogitationem vix possimus effugere. Agendum igitur *primo* de Olympo per se spectato, *deinde* vero de eodem cum aliis rebus comparato.

§. 14. Quod igitur ad *primum* argumentorum genus attinet, libenter fateor, in promptu mihi non esse deorum sedis *descriptionem*, monti tam propriam, quam supra data propria videbatur coelo; infitias tamen ire non possumus, *epitheta*, maxime a poëta nostro *frequentata*, montis habere significationem; id quod iam EUSTATHIUS *q)* monuit ὅλως γὰρ ὁ Ὅμηρος περὶ Ὀλύμπου ὡς μὲν ὄρους λέγειν ἔργον ἔχει, κατὰ ποιητῆς ὡς δὲ περὶ οὐρανοῦ ἀλληγορικῶς πάρεργον. Etenim κάρηνα tribuit Olympo, *r)* quae sunt montium; *s)* eiusdem dixit κορυφήν, *t)* solemne montium epitheton; *u)* Olympus πτύχας habet, *x)* in quibus dii commorantur, neque minus πολύπτυχος *y)* vocatur, quam Ida. *z)* Voces denique ῥίον Ὀλύμπου *a)* saepissime in Scholiis esse de montis vertice, seu cacumine, expli-

*q)* Vid. ad Iliad. α, 44. Vid. pag. 31. Excerpt. MVELLERI V. Clar.

*r)* Iliad. α, 44. β, 167. δ, 74. η, 19. Odyss. α, 102.

*s)* Scholia ad Iliad. α, 44. κατεβη δὲ ἀπὸ τῶν τοῦ Ὀλύμπου ἑξαχῶν, ὁ ἔστιν ἀκρωτηριῶν, et ad eundem locum EUSTATHI. Ὀλύμπος μὲν γὰρ ὄρος ἔχει κάρηνα, ἦτοι ἑξαχῶν. quid? quod ipse Homerus, Iliad. β, 869. de montibus dixit; quamquam hic usus apud eum est rarior. Sed de equis etiam κάρηνα dixit. Iliad. ι, 24.

*t)* Iliad. α, 499. ε, 754. θ, 3.


*u)* Cum singulariter tum pluraliter. Locorum ingens est numerus. Iliad. β, 456. γ, 10. ε, 554. θ, 51. ν, 12. 179. ξ, 157. 228. 332. ο, 5. et saepius in Iliade. Odyss. β, 147. ι, 121. et saepissime.

*x)* Iliad. λ, 77.

*y)* Iliad. θ, 411. KOEPPEN. Tom. II. p. 342. Et Iliad. υ, 5. Cf. v. 22.

*z)* Iliad. ζ, 171.

*a)* Iliad. ξ, 154. vbi vid. Schol. ἀπὸ ῥίου ἀπὸ τοῦ ἀκρωτηρίου τοῦ ὄρους. ad v. 225. ὄρους ἀκρωτηρίου, παρὰ τὸ ῥαῖζειν καὶ καταληγεῖν εἰς ὄξυ ad Iliad. θ, 25. περὶ τὸ ἀκρον ἢ ῥιον ἀπὸ τοῦ περιῤῥεῖσθαι τοῖς ὄμβροισι. pessime id quidem. Ipse autem Homerus ῥιον de monte dixit Odyss. γ, 295. et ι, 191. vbi vid. Schol.



explicatas, neminem, nisi hoc in genere minus versatum, fugit. Nec tamen dubito, quin contra hoc argumentum, cum omnino contra probandi rationem, tum etiam contra res singulas, et singula epitheta, multa possint iure moneri, nam potest obiici: quid obstabat, ne poëta montis epitheta in coelum posset, vel ornatus causa, transferre? aut quid nos impedit, quo minus v. c. *κάρηνα*, quae urbibus etiam tribuuntur, *b)* cum OVIDIO, *magni Palatia coeli*, *c)* aut *sanctam arcem*, *d)* aut *regiam coeli*, *e)* vertamus? Concedo hoc libentissime, etenim ipse antea tali modo has obiectiones infirmare studebam; nec iam quidem quidquam iis tribuerem, si solae contra primam dissertationis partem starent; nec hoc vehementer vrgerem, quod Olympus, ubi dii esse dicuntur, *ἀγαννιφος* et *νιφσεῖς* interdum *f)* nominatur; immo grata mente *Scholiastae* et *KOEPFENII* *g)* solertiam et inuentum, qui, ut contradictionem tollerent, non supremum intellexerunt montis verticem, sed partes eius nubibus subiectas, iisque inferiores, in coelum transferrem, eiusque partem terrae propiorem, atmosphaeram nimirum, intelligendam censerem; quid? quod, ad incitas redactus, affirmarem, ubi niuis in Olympo fiat mentio, ibi *auream* quandam esse subintelligendam, non eam valde frigidam, nostros campos et plateas paullo post tecturam; et ut vix quidquam potest adeo absurde excogitari, ut plane nulla inueniatur ratiuncula addenda, ita hic in medium afferrem *nubes aureas*, sub quibus Mars, in vertice Olympi, sedisse dicitur: *h)* at enim vero talem tergiuersationem et solertiam fugiendam esse discimus, ex nonnullis *deorum itineribus*, de quibus *secundo loco* dicendum.

§. 15.


*b)* Iliad. β, 117. Sch. *ἀκροπολεῖς* et Iliad. ε, 24. *c)* Met. I, 176.

*d)* Met. II, 306. Ad versum sequentem: unde solet *latis nubes inducere terras*, conferendus est Homerus. Iliad. π, 364sq. et ibi scholia, et *KOEPFENII*. Tom. IV. pag. 287. *e)* Met. I, 257.

*f)* Interdum dixi, quamquam *KOEPFENII* monuit ad Iliad. α, 99. *Oesters* heisst der Olymp *ἀγαννιφος*, *νιφσεῖς*. Nam *ἀγαννιφος* dicitur Olympus Iliad. α, 420. et σ, 186. *νιφσεῖς* vero Iliad. σ, 615. Saepius autem vix dicitur. *g)* vid. loca nota & laudata.

*h)* Iliad. ν, 523.






§. 15. Iuno igitur, duo faciens itinera, magis etiam pro nostra causa pugnat, quam pro Graecorum salute pugnare volebat. In quinto enim Iliados libro *i)* currum parat, proficiscitur, portarum coeli aperiendarum fit fragor, transit Iuno cum focia Minerua, et ita demum peruenit in Olympum, ad Iouem seorsum sedentem, et ab aliis daemonibus remotum; venia deinde pugnandi impetrata, troianam terram celeriter petit; qui locus satis probat, Olympum non modo a coelo esse diuersum, verum etiam infra coelum, et extra eius portas situm. Scio quid contra disputare aliquis poterit! nimirum quaerere potest, vbi Iuno dicatur de coelo *descendisse*, et *descendendo* in Olympum e coelo peruenisse? Auctor existere potest, *duplicis itineris assumendi*, *alterius* quidem, quo Iuno e troiana regione coelum petat, ad consequendam a Ioue pugnandi veniam, *alterius* vero, quo e coelo redeat in campum pugna strepentem. Nec negari potest, si haec firma esset ratio, etiam hunc locum, cum sententia supra proposita egregie congruere. Nam ita Iuno *ascendendo* coeli portas transfiret, ita *ascendendo* ad Olympum pergeret, vnde Olympus non solum non extra coeli portas, sed vel in coeli summitate esset quaerendus. At vero quae nos cogit ratio, vt Iunonem ire et redire cogamus? Num faciendum hoc est, vt nostram hypothesein omni defendamus modo? Vanum hoc quidem esset et deridendum; vt noster locus cum locis supra allatis pugnare desinat? Graue sane argumentum, quod humanitas et bonus animus postulat. At in inuestigando eo, quod verum est, non aequitas valere debet, sed recta et firma ratio; hac in causa non arbitro locus est, sed iudex requiritur; et vereor, vt iudicis sententia hanc explicationem sit probatura. Nolo contra hanc de duplici itinere coniecturam argumentis vti speciosis illis quidem, sed parum firmis, proptereaque non haereo in eo, quod Iuno et Minerua antea non propter Troiam, sed in coelo fuisse dicuntur. *k)* Quamquam enim haec ratio videtur tam firma et perspicua, vt vel sola possit probare, has deas, cum in coelo essent, non nisi e coelo  
potu-

*i)* Iliad. ε, 748-778. Cf. KOEPPEN. pag. 123.

*k)* Vid. vf. 416. et 511.



potuisse proficisci, quo facto simplex solummodo iter assumendum esset: tamen hoc argumentum, hac in re, minime adhiberem, usus enim et attentio me docuit, deorum itinera non semper ab Homero, ut ad nostra peruenit tempora, rite describi; immo vero Poëtam deas suas non semper inde repetiisse, ubi reliquerat. <sup>l)</sup> Sed hac infirmatione nobis ne opus quidem est. Nam quod de componendo, aut composito curru narratur, id haud dubie probat, deam e *sede sua* esse profectam. Hoc autem eo magis affirmandum est, quo manifestius, et certius ex alio etiam loco, cum hoc quidem egregie conspirante, idem apparet. Nam ad Mineruam et Iunonem, quae contra Iouis voluntatem, *e coelo erant egressae*, (Iliad. 9, 392-396.) Iris a Ioue mittitur *in Olympum*, ut eas redire cogat, (vs. 410sq.) Quid autem inde? Docemur hisce, Olympum non *in* coelo fuisse.


§. 16. Ut autem ea, quae haecenus diximus, nos docent, Olympum deorum sedem extra coeli portas fuisse situm, et coelo inferiorem; ita aliud Iunonis iter enarratum, aut potius fictum, facit, ut de Thesfaliae monte nobis cogitandum esse videatur. Iuno enim, Ienociniis, quae Venus ei mutuauerat, ornata: <sup>m)</sup>

— — αἴξασα λίπε θῖον Ὀλύμπιο,  
Πιερίην δ' ἐπιβᾶσα καὶ Ἡμαθίην ἐρατεινὴν  
Σέυατ' ἐφ' ἵπποπόλων Θρηκῶν ὄρεα νιφόεντα etc.

et inde, ex monte Athus, pergit super mare in Lemnum insulam ad Somnum. Quis hic non videt, cum Pieria, si Olympi habeamus rationem

<sup>l)</sup> Ita Minerua, quae troianam regionem petierat, Iliad. 4, 19. quamquam non inuenitur, ubi in coelum rediisse legatur, tamen postea in coelo est, quod non colligo ex eo, quod vs. 443. *οἱ θεοὶ* dicuntur apud Iouem fuisse; et Iliad. 9, 1. 5. in concione Iupiter *omnes* deos deasque alloquitur; sed id Iliad. 9, 30. *lego* disertis verbis indicatum, ubi Minerua habet orationem. Eodem modo Minerua *praesens* Diomedem, ut redeat, hortatur, Iliad. 4, 507sq. et quamquam in coelum rediisse non dicitur, usque ad Iliad. 4, 75. ibi tamen omnes dii, praeter Erin, in coelo fuisse dicuntur.

<sup>m)</sup> Iliad. 5, 225sq.



tionem, septentriones spectaret, ab Olympo itineris repetitum esse initium? Vnde haud absurde concludere aliquis potest, eam ex Olympo descendisse. Sed ne hoc quidem argumentum ultra probabilitatem assurgit. Legimus enim etiam Mercurium, Calypsonis insulam aditurum, Pieriam superuolasse: n)

Πιερίην δ' ἐπιβάς ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ


quod tamen non erat necesse. Nam Calypsonis insula, si Gaulum intelligamus, propter Meliten sitam, et in Olympo nos quasi ponere, et ex eo rem diiudicare velimus, non Septentrionem quidem, sed regionem spectabat occidenti et meridiei interiacentem. Mercurius igitur non nisi per viae ambages, eo, quo volebat, peruenit. Sed etiam Iuno, de qua statim dixi, potuisset via rectiore in Lemnum peruenire. Homerus igitur, cum quaedam deorum itinera ita dirigeret, ut Pieriam, Musarum regionem, dii transgrederentur, aut transuolarent; cumque et Iunonis et Mercurii negotium esset *oratione* perficiendum, — nam illa quidem Somno vult *persuadere* ut auxilio sibi sit in decipiendo Ioue, hic vero ad Calypsonem mittitur, ut eam de dimittendo Ulyssæ moneat. — Homerus, inquam, *fortasse* hac ratione indicare voluit, quod ex Musarum natura et dotibus facile est collectu, difficillimum probatu; nimirum ista negotia, orationis ope absoluenda, Musarum postulare auxilium, o)

§. 17.

n) Odyss. ε, 50 sqq.

o) Dixi *fortasse*. Nam *teleologia* poetarum magnam habere videtur cautionem, et videndum est, ne *consilia* fingamus. Tale exemplum reperisse mihi visus sum, in Scholiis ad Odyss. ε, 262. quae monent, poetam sagittarum veneno vinctarum facere mentionem, ne postea quaeramus, qui factum sit, ut vno ictu proci perirent. Sed hoc haud dubie falsum. Nam ut taceam, omnem Mentae sermonem esse *fictum*, cum verus Mentis non adesset, illud venenum videtur paratum in usum belli troiani; facta enim res dicitur ante troianam expeditionem, vid. vs. 210 sqq. Ulysses autem omnia, quae secum ad Troiam duxerat, amisisse dicitur. Immo totum Mentae figmentum pertinet ad captandam Telemachi gratiam et benevolentiam.

D



§. 17. Sed satis in utramque partem disputatum esse videtur. Quid vero est, quod nostra contentione sumus assecuti? Non possumus infitias ire, ancipitem cogitandi curam nobis esse allatam, nec, ut iam est nostra huius rei cognitio, in alterutram nos posse inclinare sententiam. Fuit quidem, ubi nobis de opinione, in prima dissertationis parte defensa, esset persuasum, et ita sentientes ante hos sex menses id etiam indicauimus; at enim vero, iam non possumus negare, nos de statu nostro esse quodammodo deiectos. Nihilo tamen magis, altera ratio, si quis eam velit ubique sequi, ita comparata videtur, ut, ea admissa, omnes difficultates tolli posse videantur. Itaque non possum, quin statuam, in scriptis Homeri, ut ad nos peruenerunt, aliquam inueniri inconstantiam. Qua tamen affirmatione de laude diuini Poëtae ingenii, quicquam detrahere nolui, nec vere detraxi. Nam qui fata scriptorum Homericorum vel aliquo modo habet cognita; qui scit, non ipsum Homerum ea collegisse, sed ab aliis et quod dicunt, a Pisistrato, *p)* quae circumferebantur esse collecta, et in vnum quasi corpus composita; qui non ignorat, quantum sibi veteres et collectores et critici in scripta poëtae licere putauerunt, idque aut addendo, *q)* aut delendo *r)* demonstrauerunt: is profecto, has ob causas, non

*p)* vid. LVD. KVSTERI Histor. crit. Homeri, P. II. Sect. III. §. 3. pag. LXXXVIII sqq. edit. Iliadis ab Exc. WOLFIO adornatae.

*q)* Sic Pisistratus in Atheniensium gratiam inseruisse in Necyiam Homeri istum versum dicitur:

Θησεα, Περισσοον τε, Θεων ἀριδικετα τεχνα.

Vid. KVSTER- libr. laud. P. II. Sect. V. §. 4. Quod autem addit vir doctus, „hunc versum in Necyia, siue vltima rhapsodia Odyssæae, hodie non reperias“, id ex parte solum verum est. Nam versum legimus Odyss. λ, 630. Haec autem vndecima Odyssæae rhapsodia etiam Necyia appellatur. Vid. PERIZON. ad Aelian. V. Hist. XIII, 14. n. 10. Videmus hoc etiam, si PLVTARCHVM, de aud. poët. III. §. 10 cum Odyss. λ, 222. conferamus. Caeterum in nostris editionibus legimus: ἐρικυδεα τεχνα. Illud autem Pisistrati consilium, quale fuerit, non assequor. Si in Elysiis istos viros posuisset, quo Menelaum peruenturum esse Proteus vaticinatur Odyss. δ, 561. sqq. magis in gratiam Atheniensium additus versus posset videri. Ut autem sola istorum virorum nomina

mina

non ipsi graecae eruditionis duci, quicquam imputabit; sed, quod reprehensionis fortasse quodam iure proferri posse videatur, id non de eo, qui *fuit et vixit*, sed de Homero quem volumus, aequus pronuntiabit. Minime tamen dubito, quin plurimae possint excogitari sedis huius deorum rationes, et plurima eius loca, mihi que persuasum est, eum, qui locos Homericos sententiae cuiusque fauentes velit conquirere, inuenturum esse, quibus opinioni suae possit veri quandam conciliare speciem. <sup>s)</sup> Ingenio tamen qualicumque meo in excogitan-


mina in scriptis Homericis reperirentur, hoc additamento non erat opus. Nestor enim Iliad. α, 263 et 265. Pirithoi et Thesei facit honorificentissimam mentionem.

- r) Hoc fecisse reperiuntur critici. Cf. CLERIC. Art. Crit. Praefat. pag. 20 et Part. III. Sect. I. c. 14. §. 2. Simile exemplum in Homero mihi deprehendisse visus sum, Iliad. λ, 540-542. quos versus ΠΛΥΤΑΡΧΗΣ, de aud. poët. XI. §. 17. ita laudat:

Αὐτὰρ ὁ τῶν ἄλλων ἐπεπωλεῖτο σιγᾶς ἀνδρῶν,  
 Λίαντος δ' ἄλλεῖνε μάχην Τελαμωνιάδαο  
 Ζεὺς γὰρ οἱ νεμεσά, ἂν ἀμείνονι Φῶτι μάχοιτο.


Sed in nostris exemplaribus ultimus versus desideratur; fortasse quoniam impius et falsus videbatur; sed excidisse etiam potuit, quoniam sequens versus etiam a voce Ζεὺς δὲ incipit. Homerus enim causam dictorum et euentuum solet addere. Cfr. Odyss. λ, 315. μ, 79. et aliis in locis quam plurimis, cur h. l. id non fecisse purandus est? Conferatur hanc in rem etiam SVLPICIUS SEV. Dial. I. cap. 6. pag. 385 Vorst. vbi de Origenis libris, „Sed episcopi, inquit, quaedam in libris ipsius insanius scripta memorabant, quae adsertores eius defendere non ausi, ab haereticis potius fraudulentè inserta dicebant.“ Et CLEM. ALEXANDR. Strom. II. pag. 383. edit. Colon. C. de Epistolis ad Timotheum ab haereticis reiectis.

- s) Liceat hic vberius afferre eam, cuius supra, pag. 4. not. b. breuiter mentionem feci, BOIVINI sententiam. Exc. SCHROECKH. igitur ad BANIER: Tom. III, pag. 93. ita scripsit: „Der jüngere BOIVIN hat in den Memoires de Litterat. de l' Acad. des Inscr. et L. B. T. X. p. 653 sq. der holländ. Ausgabe, den Olymp als einen Berg vorgestellt, dessen Fuß der Himmel sey, und davon der Gipfel gegen die Erde zugekehrt sey. Dieser Berg, sagt er, ist der Himmel selbst in der ätherischen Gegend, und er liegt dergestalt auf der erhabenen Oberfläche der Himmelskugel, daß er  
 den



cogitandis nouis hypothesibus, nolui indulgere, quid enim hoc esset aliud, nisi omni studio eo tendere, vt poëtam non intelligamus, eique nostras sententias, vel, vt verius loquar, nugas subiiciamus, et subministremus. Nec absoluta hac opella in temeraria versor opinione, rem a me tandem esse confectam, atque omnibus numeris absolutam, immo vero in meam rem conuerto, quod apud CICERONEM dixit CATO: „Quod est, eo decet vti, et quicquid agas, agere pro viribus.“

*den Einwohnern derselben eben so vorkömmt, wie uns die Alpen. „Reliqua omitto, ita vt etiam Mairanii coniecturam, quippe quae non tam ad fabulam ipsam et deorum sedem pertinet, quam eius fabulae inuestigare studet originem. Sed addenda est Viri Exc. acuta et verissima sententia:“ Beyde Murbmassungen sind ein neuer Beweis, daß die Naturlehre die artigsten Deutungen der heydnischen Fabel an die Hand geben könne; aber ob dieselben auch der Denkungsart der alten Welt, und namentlich der Dichter, gemäß seyen, das ist nicht immer so leicht auszumachen.“ Moneri etiam potest: Fortasse Homerus deos suos, et prae caeteris Iouem, in Olympo posuit, non quoniam is esset perpetuum Iouis domicilium, sed vt interdum ibi maneret, quemadmodum Iouem nonnunquam in Ida monte inuenimus. Sed nec hoc potest admitti. Nam Olympus vocatur, vt supra vidimus,  $\Theta\epsilon\omega\upsilon\ \epsilon\delta\omicron\varsigma\ \alpha\tau\phi\alpha\lambda\epsilon\varsigma\ \alpha\iota\tau\iota$  et in Olympo deorum haberi solent concilia.*



Goll. diss. A. 2/4, misc. 49



